

Mit. Germ. IV. Schlesien Qu. an 166.

Z

LEO PAPA X.

1516.


Copia Bullæ.

**Leonis X. Papæ
Super Cassatione Transactio-
nis Colowratianæ.**

Ex
Hereditate
Steinwöhriana



445441



LEO PAPA X.



Enerabiles Fratres

& dilecti Filij, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum (sicut accepimus) nuper dilecti filij Duces Principes, Nobiles, Militares communia civitatis & vniuersitates Diocesis Wratislaviensis ac aliorum Ducatum, Imperium jurisdictionem, superioritatem Ecclesiasticam supplantare satagentes, sub colore prætenso- rum Commissariorum à Charissimo in Christo Filio moderno Bohemix Rege Illustri, Civitatis & Diocesis prædictorum in temporalibus Domino (vt prætenditur) deputatorum, nonnullos articulos, siue nonnulla pacta, capitula, statuta & placita perpetuis temporibus obseruanda, Sacris canonibus ac libertati Ecclesiasticæ nostrisq; Ecclesiæ, juri & jurisdictioni, contraria & plurimum præ-
iudi-

iudicialia fieri, edi & confici illoque sigillo, tum Episcopi & nostrorum filiorum Capituli, tanquam his spontè & expressè consentientium, metu qui in constantem virum cadere poterat, muniri fecerunt & procurarunt per quem inter alia voluerunt. Quod vos Filij, Capitulum, & pro tempore existentes Canonici dictæ Ecclesiæ nostræ non nisi de certis inibi expressis locis, oriundas personas in Episcopos Wratislavienses, pro tempore eligere, nec beneficia Ecclesiastica pro tempore vacantia, nisi personis & certis modis inibi expressis, conferre valeretis. Quodq; in electionibus Episcoporum & collationibus beneficiorum pro tempore faciendis consensus Regis Bohemix pro tempore existentis requiri deberet, ac quod Vos decimas non nisi medijs, ibidem expressis exigere valeretis & mechanicos proprios non susciperetis nec foveretis, ac subditos vestros ipsis Principibus secularibus, dum illi proprios subditos, pro auxilio illis ferendo, & collectas soluendas requirerent obligatos exhibere deberetis, ac sub censuris ad census soluendos excommunicari facere non potestetis, nisi prius per octo septimanas, Dominis eorum temporalibus notificaretis, & si aliqua Prædia non cultivarentur, facto edicto publico infra Annum & Diem, nullus cultivator appareret Domini hæreditarij dicta prædia, pro suo
locare:

locare possent. Et si aliquis Plebanus sine testamento decederet, nemo de illius bonis, nisi qui ad hæc à Parochianis deputaretur, se intromittere posset. Quodq; Rex Bohemix pro tempore existens circa testamenta, ordinationes, & dispositiones quomodo & qualiter fieri debeant, ordinare possit, & nunnulla alia expressa tunc fecerunt, prout in litteris seu documentis publicis desuper sub dato die Sabbathi post festum Purificationis B. Mariæ Virginis Anni 1504 desuper confectis dicitur plenius contineri. Nos ad quos spectat libertatem Ecclesiasticam tueri & defendere, & quæ contra ius in præiudicium præsertim Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum, iurisdictionem fuerint, ad tramitem iuris reducere, attendentes quod prædicta non solum contra ius scriptum & libertatem Ecclesiasticam, sed & contra particularia privilegia & indulta tam pontificalia quam Imperialia & Regalia Ecclesiæ nostræ Wratislauensis & illius personis concessa cedere dignoscuntur, & si tollerarentur Vos Filij, Clerus, successu temporis in totalem seruitutem laicorum verisimiliter redigeremini ac cupientes super his debite providere motu proprio & ex certa scientia nostra ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, pacta capitularia, statuta & placita prædicta, ac prout illa concernunt omnia & singula in eisdem litteris
seu

seu documentis contenta, in quantum sacris obuiant institutis & libertati Ecclesiasticæ, aut nobis & Ecclesiæ nostræ contrariantur seu præiudicium quomodolibet grauamen afferunt, Autoritate Apostolica tenore præsentium reuocamus, cassamus irritamus & abolemus, revocatq; cassata & irrita ac abolita Vosq; ad illorum obseruationem minimè teneri aut obligatos esse Et quicquid per dictos Duces, Principes vel alios Laicos prætextu pactorum, capitulorum & statutorum huiusmodi ullo unquam tempore factum fuerit, irritum & inane decernimus & declaramus. Ac pro potiori cautela Vos à promissionibus, obligationibus circa præmissa quomodolibet præstitis & factis liberamus & absoluiamus, Vosq; in pristinum statum in quo, ante editionem dictorum pactorum eratis, restituimus, reponimus & plenariè reintegramus. Et nihilominus Venerabilibus Fratibus Mysnensis & Brandeburgensis Episcopis & eorum cuilibet committimus & mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum, per se vel alium seu alios præsentis litteras & in eis contenta quæcunq; , ubi & quando expediens fuerit ac quotiens pro parte nostra seu alicuius vestrum super hoc fuerint requisiti solenniter publicantes. Vobisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant Autoritate, nostra revocationem,
nem,

nem, cassationem, irrationem, abolitionem decretam declarationem, absolutionem, liberationem, restitutionem, repositionem & reintegrationem ac alia præmissa firmiter obseruari. Vosq; illis pacificè gaudere non permittentes vos desuper per Duces, Principes, & alios Laicos præfatos seu quoscunque alios contra præsentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles & contra tenorem præsentium molientes seu facientes, cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, Ordinis vel conditionis fuerint, & quacunq; Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Nos enim eiusdem Episcopis ac eorum cuilibet præfatos Duces, Principes & alios Laicos ac contradictores quoslibet & rebelles, ubicunq; fuerint & per edictum publicum locis, prædictis de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad eorum noticiam possint peruenire affigendum constituto eis summarie quod illorum præsentia pro citationibus de eis & inhibitionibus sibi faciendis tutè haberi nequeat, citandi ipsisq; inhibendi, ac loca in quibus eos morari seu ad quem declinari contigerit, Ecclesiastico interdicto supponendi. Cæteraq; in præmissis
et.

et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi & exequendi plenam & liberam tenore præsentium facultatem concedimus, ac volumus, Quod citationes & inhibitiones sic factæ perinde eos citatos & inhibitos arceant, ac si eis personaliter factæ fuissent. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Octavi prædecessoris nostri Regulæ qua cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem & diocesim, nisi incertis exceptis casibus & in illis ultra memoratam diætam à fine suæ diocesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices à sede Apostolica deputati, contra quoscunq; procedere aut alij vel alijs vices committere præsumant, & de duabus diætis in concilio generali edita dummodo ultra tres diætas aliquis Autoritate præsentium non trahatur, & alijs constitutionibus quibuscunq; & Apostolicis ordinationibus cæterisq; contrarijs. Datum Romæ Die 26. Iunij M. D. XVI. Pontificatus nostri Anno Quarto.



Bembus.

Konserw. i oprawę wyk.:

Dorota Chmielarz

(1995)

